DE SVPREMIS PARENTVM VOTIS

Von der Eltern letztem Seegen.

PRAESIDE
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICO
DN. MARTINO HASSEN
POTENTISSIMI REGIS POLONIARVM
AC PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE CONSILIARIO AVLICO EODEMQVE MORALIVM
ET CIVILIVM PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO
PATRONO SVO SVORVMQVE STVDIORVM
AMPLIFICATORE PIE COLENDO
IN ACROATERIO MAIORE
DIE III OCTOBR. CIϽ IϽ CC XLII
DISPVTABIT
AVCTOR
M. GOTTLIEB MVLLERVS
KEMBERGENSIS SAXO

VITEMBERGAE
PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS

PRAELOQVIVM

DE *ſupremis Parentum uotis* hic diſputaturi, id ante omnia agere debemus, ut, quoniam nomen uoti multiplicem habet ſignificationem, ea, quae huius demum loci eſt, indicetur. Quippe accipitur aliquando pro quadam promiſſione, ſeu ſponſione, nunc pro re ipſa, Deo dicata, modo pro uoluntate animique ſententia, tum pro nuptiis, unde peruulgata eſt phraſis, uota ſecunda, ſeu ſecundae nuptiae, tum denique, uulgari tamen ſenſu, idem ualet, ac ſuffragium. Quem uero ſenſum nomen uoti hic habeat, facile intelligitur, nimirum nobis ſignificat precationem, ſeu apprecationem, qualem ſignificationem CICERO quoque adhibet, uota cum precibus coniungens *in orat. pro Plancio, c. XLI.* Ea uero uota dicuntur ſuprema, quae fiunt circa mortem, et a moribundis, non multum ante, quam diem obeunt ſupremum, et, tanquam extremum, ſeu ultimum humani cuiusdam affectus teſtimonium, concipiuntur. Quos autem nomine Parentum appelle-

mus, facile pariter intelligi poteſt, uidelicet non eos ſolum, qui primi ſunt gradus, ut pater et mater, ſed illos quoque, qui ſunt ulteriorum graduum, hos quidem remote, illos uero proxime, quemadmodum liberorum etiam nomine non filius tantum et filia, uerum ii quoque, qui inferiorum ſunt graduum, comprehenduntur. Sunt uero Parentum uota ea, quae liberorum, non ſui ipſorum, cauſa faciunt. Quando autem huic, uel illi aliquid apprecamur, ponendum eſt, talem apprecationem, ſeu tale uotum, non niſi ex affectu quodam animi noſtri oriri, qui cum duplex ſit, unus amor, alter odium, duplex etiam apprecatio hinc exiſtit. Vota enim fiunt uel pro aliquo, ex amore, uel contra aliquem, ex odio. Proinde CICERO *in orat. in Piſonem c. XIX et XX*, tum bona, tum mala, nos alteri poſſe apprecari, affirmat. Idcirco apud Iudaeos quoque uox ברך nunc in bonam, nunc in malam accipitur partem, quod, licet CLERICVS *in Biblioth. ſelecta T. XXIV, p.* 21, cauſam huius antiphraſeos in coniugatione Piel quaerat, ſignificationi tamen generaliori eſt adſcribendum, ubi uerbum, ברך generatim ſumtum, nihil aliud deſignat, niſi precari, apprecari alicui aliquid, id quod RAMBACHIVS integre ſatis explicat in *Inſtitut. Hermen. ſacr. p.* 271. Quae cum ita ſint, et uota parentum utramque admittant ſignificationem, in promtu eſt ratio, cur duo huius commentationis capita conſtitui debeant, unum *de uotis parentum ſupremis pro liberis*, alterum *de uotis parentum ſupremis contra liberos.*

CAPVT

CAPVT I
DE
SVPREMIS PARENTVM VOTIS PRO LIBERIS

§. I

Vota Parentum pro liberis ſuprema ſunt apprecationes felicitatis, diuinitus impetrandae, liberis a parentibus, morti proximis, factae. Communis quidem dicendi conſuetudo uocem benedictionis, qua eiusmodi uota appellantur, introduxit, attamen uox iſthaec, ex ſacra potiſſimum diſciplina huc translata, ſignificationem, ueteribus ignotam, adſciuit. Huic reſpondet nomen Germanicum, Segen, unde habentur locutiones, Er hat ihm den letzten vaeterlichen Segen ertheilet, ſie hat ihm noch zuletzt ihren mütterlichen Segen gegeben, aliaeque ſimiles. *Definitio uotorum.*

§. II

Eiusmodi uotorum uaria paſſim exempla, tum in ſacra hiſtoria, tum in ciuili, occurrunt. In ſacra quidem exemplum praebet Iacobus, Patriarcha, qui, morti proximus, ea filiis ſuis apprecatus eſt, quae, certe euentura eſſe, ipſe diuina quadam uaticinatione praedixit. Dauides pariter, uates ille Regius, imminente morte, filio ſuo, Salomoni, Dei gratiam, et ſpeciatim Regii faſtigii dignitatem, ad poſteros tranſituram, ita promiſit, ſi obedientiam, Deo debitam, conſeruaret. Ex ciuili autem hiſtoria duo potiſſimum exempla illuſtriora afferamus. Vnum eſt, quod Fridericus Bellicoſus, Princeps Elector Saxoniae, reliquit, quippe qui pro Friderico Placido et Guilielmo, filiis, eiusmodi protulit uota, quibus praeclaras ſimul uirtutes, pietatem, concordiam, commodi publici ſtudium, prudentiam, aliasque commendauit, uid. BIRCKENII *Saech-* *Exempla uotorum.*

ſiſcher Helden-Saal, P. II, p.20, ſqq. Alterum exhibet Magdalena Sibylla, Ioannis Georgii I, itidem Principis Electoris, uidua, quae pro nepote ſuo, Io. Georgio III, circa mortem uota fecit, praeclara utique et memoratu digna. Etenim uerba haec fere fuerunt, wenn er, uidelicet Ioannes Georgius, Princeps tum Iuuenis, folgen würde, ſo waere ihr Gebeth, ſo ſie für ihn bisher gethan, erhöret, und er werde an Tapfferkeit, Weisheit und Glückſeeligkeit alle ſeine Vorfahren übertreffen, und eine theure Seule der Euangeliſchen Kirchen, und ein Schutz und Troſt der gantzen werthen Chriſtenheit werden, ſeyn und bleiben, prout commemorat GERBERVS *in der Hiſtorie derer Wiedergebohrnen in Sachſen, P. III. hiſt.* 1.

§. III

Cur et quomodo Parentes vota faciant.

Parentes igitur ii ſunt, qui uota eiusmodi pro liberis faciunt. Quod quidem cum naturae, tum officio parentum plane conuenit. Naturalis enim Parentum στοργὴ, ſeu amor ipſorum erga liberos innatus, ad nihil magis fertur, quam ad perpetuam conſtantemque liberorum felicitatem. Liberi uitam a parentibus acceperunt, ſimulque tacitam cum uita de educatione ſua promiſſionem. Quando igitur Parentes, de liberorum ſolliciti educatione, uitam cum morte coguntur commutare, atque adeo educatio, uictus, cultus, inſtitutio fidelis, ſapientum denique conſiliorum ſubminiſtratio ceſſant, Parentes, ſub finem etiam uitae ſuae, ſummum erga liberos amorem documentis quaſi ultimis declarant, ſuoque ſatisfaciunt officio, cum uota pro liberis proferunt, precesque ad Deum pro eorum ſalute fundunt. Ecquis enim praeter Deum eſt, cui meliori eos tradere deberent iure. A quonam uaria pro ipſis bona, eaque neceſſaria, impetrare poſſunt, niſi a ſummo ac praepotente Numine. Bona illa, quae Parentes moribundi ſuis optant liberis, ad perfectiorem illorum ſtatum,

ſiue

ſiue in hac, ſiue in altera uita, pertinent, adeoque aut animum reſpiciunt, aut corpus, aut denique liberorum fortunam. Animi bona tam naturalia, quam ſupernaturalia, ad intellectus pariter ac uoluntatis perfectionem ualent. Quando igitur Parentes haec bona prae ceteris omnibus in ſuis uotis pro liberis ſibi propoſita habent, conuenienter omnino naturae animi agunt, utpote qui pars hominis nobiliſſima exiſtit. Alia uero bona corpus attingunt hominis, eiusque perfectioni conducunt. Quae corporis perfectio, ut cum celeberrimo SCHVBERTO *in Philoſ. pract.* §. 353, loquar, conſiſtit in membrorum promtitudine ea exſequendi, ad quae naturalem habent aptitudinem. Quidni et haec uota, quae corporis perfectionem, uitam longam, ſanitatem, aliaque bona comprehendunt, licita ſint, et naturae corporis conſentanea, cum Parentum ſit curare, ut ualeant liberi, ac tales euadant, qui, integra corporis conſtitutione, huius uitae felicitatem percipere, reique publicae ac priuatae ſuas praeſtare operas poſſint. Accedit, quod, cum in lege diuina liberis, pietati in Parentes deditis, longa annorum ſeries promittatur, id quoque, ubi Deus Parentum optatis reſpondet, amoris diuini indicium, contrarium uero odii ſignum, habetur. Alia denique bona ad ſtatum hominis externum ſpectant, et bona fortunae nuncupantur. Quin uota, pro eiusmodi bonis concepta, etiam iuſta ſint, nemo dubitabit. Cum enim Parentes ad ea, quae ad uitae liberorum ſuſtentationem, aut ad animi corporisque perfectionem, neceſſaria uidentur, procuranda ſint obſtricti, a Deo autem benigniſſimo omnia bona impetrari debeant, cur iisdem Parentibus non eſſet permiſſum, opes, bonam famam, aliaque fortunae bona liberis apprecari. Monere tamen hic debemus, magnam ea in re adhibendam eſſe moderationem, ut nimirum naturae horum bonorum animi, corporis, fortunae agatur conuenienter. Quemadmodum enim magnam in illis deprehendimus diſſimilitudinem, ſic uota quoque diſ-

ſimilia

ſimilia exiſtunt. Quodſi igitur uota haec pro liberis, debita cum circumſpectione, fiunt a Parentibus, et ubi uota haec a Deo habentur rata, tantum abeſt, ut exinde hominum ſocietas, aut reſpublica detrimenti quid capiat, ut ſalus reipublicae mirifice potius amplificetur. Cum enim ei, pro quo uota concipiuntur, certa quaedam conditio ſit propoſita, felicitas huius damno alteri nequaquam eſſe poteſt, id quod ex ſingulis illis bonis, modo commemoratis, poſſet facili demonſtrari negotio. Quid religio nocet, quid ſapientia, quid corporis robur, quid aliena fortuna, iuſto modo adhibita. Profecto nihil. Taceo iam emolumentum, quod reſpublica capere inde poteſt, neque dicam de incitamento debitae erga Parentes pietatis, quod bona illa, huic illiue homini tributa, aliis dare poſſunt, certum utique eſt et indubitatum, bona hominum ipſorumque felicitatem haud raro aliis prodeſſe. Et illa ipſa liberorum felicitas cum finis ſit uotorum, a Parentibus moribundis nuncupatorum, ad finem uero obtinendum legitima adhiberi debeant media, manifeſtum eſt, talia Parentum ſuprema pro liberis uota omnino iuſta eſſe cenſenda. Ipſi autem Parentes, quando moribundi uota faciunt pro liberis, uel ore ea proferunt, uel ſcriptis, uelut tabulis, ſupremam illorum uoluntatem complexis, eadem conſignant. Saepius autem hic fieri ſolet, ut Parentes moribundi praeſentium liberorum capiti manus, dextram potiſſimum, imponant, uota pro iisdem ore facientes. Non quidem deſunt, qui, ritum hunc ex inſtituto quodam diuino proueniſſe, arbitrantur. In horum tamen claſſem minime referendus eſt GROTIVS, quem IO. CLERICVS *in Biblioth. uniu. et hiſt. T. I, p.* 136, ideo laudat, quod cum illis non conſenſerit, ſed conſuetudini potius, praeſertim Iudaeorum, huius ritus originem adſcripſerit. J' ai trouvé, ait Grotius, par la lecture, que l'impoſition des mains étoit une ceremonie Judaïque, qui s'étoit introduite, non par quelque loi divine, mais par la coûtume, toutes les fois

fois, que l'on prioit Dieu pour quelcun. Symbolicam impositionis manuum addit significationem perquam elegantem, Car les Juifs, pergit GROTIVS apud CLERICVM, prioient Dieu, que sa puissance accompagnât cét homme là, comme les mains, qu'on mettoit sur sa tête, et qui étoient le symbole de la puissance diuine, étoient unies à luy. Iacobi certe, Patriarchae, pro filiis Iosephi, manibus iisdem impositis, uota facientis, exemplum huc spectat. Illam ipsam tamen consuetudinem ante Iacobum, Patriarcham, inualuisse, ex Iosephi agendi ratione colligi potest, quippe qui, huius se consuetudinis non ignarum fuisse, satis ostendit. Vbi tenendum simul est, manus dextrae impositionem magis, quam sinistrae, symbolicam fuisse. Quam etiam symbolicam manuum impositionis significationem CAMERARIVS *Cent. II oper. horar. subcis. cap. XLVI, p.*196, explicat. Obseruatum est, ait, eos, qui benedicere solebant, impositis manibus, significare uoluisse auxilium et fauorem Dei, ideoque eum, cui imponebatur manus, denotare uoluerunt, esse sub fauore et protectione Dei, et benedici a Deo. In benedictione optabatur auxilium et fauor Dei. Conferri quoque hic meretur *Illustris ICti*, CHRIST. WILDVOGELII, *dissert. de iure manus dextrae, sect. III*, §. 4, et de praerogatiua manus dextrae ac uirtute, cuius supra meminimus, uideri potest IO. IAC. SPEIDELIVS *in Notab. Iurid. hist. polit. selectis, sub uoce Hand, p.* 462. Efficitur autem hisce supremis Parentum uotis, pro liberis factis, ut liberi bona illa, quae Parentes sunt apprecati, certa sub conditione consequantur.

§. IV

Non uero est, quod de eiusmodi uotis fuse disseramus, quae effectu destituuntur. Siue enim id Sapientiae diuinae, siue Parentibus, aut Liberis, siue denique Votis ipsis, perperam *Effectus uotorum.*

 conce-

conceptis, ſit tribuendum, experientia tamen edocti, ſcimus, nobis non ſemper ex uoto euenire omnia. Itaque, ſi de exemplis, ſupra allatis, iudicandum nobis eſſet, uix ac ne uix quidem poſſemus impedire, quo minus de eorum euentu certis ſubdubitandum ſit rationibus. Quod quidem ad uota Friderici Bellicoſi attinet, ea ideo, quod ipſius filii, admonitionis paternae mox obliti, conditionem, a Patre moribundo propoſitam, omiſerint, non fuiſſe impleta, indeque permagnas poſtea turbas inter fratres extitiſſe, plane conſtat. Magdalenae Sibyllae autem uota a Deo rata fuiſſe habita, eatenus concedendum eſt, ut nec Sereniſſimorum Georgii III Maiorum ſingularis ſapientia, uirtus eximia, fortuna ampliſſima et praeclara in coetum Chriſtianum merita deprimantur, nec Io. Georgii III laudes, alioquin inſignes, cum Maiorum ipſius diſpendio, extollantur nimis.

§. V

Cauſa effectus uotorum, a) remouenda,

Inſtituti ratio nunc poſtulat, ut, quoniam liberis id plerumque euenit, quod parentes ſupremo quodam uoto iisdem ſunt apprecati, in cauſam inquiramus, unde uotorum pendeat effectus. Sunt, qui moribundis quandam uaticinandi facultatem tribuunt, eamque menti hominum, ſi non omnium, certe nonnullorum, ex eorundem opinione, inſitam, infirmam licet, corporisque contagio impeditam, at talem tamen, quae, cum anima craſſa liberari mole, et ſuis quaſi uinculis exui inciperet, ſeſe exerere uideretur. Reſpondet uero illis Io. FRANCISCVS BVDDEVS *in diſſert. an naturali homines polleant uaticinandi facultate*, §. XXIII, ubi tradit, ſolum Deum futura fortuita cognoſcere, et homines eadem docere, in moribundis, eisque piis ac ſanctis Dei uiris, quales in ſacris literis ſint commemorati, id demum fieri eam, ut uideretur, ob cauſam, quia animus ipſorum ad diuinitatis conſortium tum propius

pius euehatur, corporis quippe uinculis exsolutus, in moribundis autem impiis ac gentilibus elusionem adesse Satanae ac dolum. Verum hac in re magna opus est circumspectione, ne quid inter uaticinationes referatur, cuius sufficiens ratio in signis historicis et moralibus est, aut quod casu tantum aliquando euenit. Quanquam enim, reuelationes diuinas in rebus historicis dari, malorum item angelorum experientiam in rebus naturalibus ac moralibus, eorundemque subtilitatem, cuius ope hominum, sibi indulgentium, phantasiam mouent, multa, huc spectantia, efficere posse, in dubium uocare nolumus, talis tamen futurorum praedictio, quippe rarior atque incertior, in paucissimos cadere existimanda est. Qua quidem in re uehementer placet distinctio GODOFREDI POLYCARPI MVLLERI inter facultatem praesentiendi consequentias quasdam naturae suae, licet praecaueri et impediri possent, et inter facultatem praenoscendi omnia aliorum facta et fata, priorem facultatem uir doctissimus concedit, posteriorem uero negat *in differt. de diuinationibus in ciuitate prohibitis, Part. II.* Profecto in moribundis plerumque cernitur singularis quidam rerum praesentium praeteritarumque nexum perspiciendi conatus, ut nimirum futura necessariorum suorum fata hinc colligere possint. En luculentissimum huius rei exemplum. Walterus D'evereux, Essexiae Comes, cum morti esset proximus, adstantes rogauit, ut filium, uix tunc decennem, monerent, tricesimum sextum aetatis annum sibi semper ob oculos proponere, tanquam uitae metam supremam, uid. GVIL. CAMDENVS *in Annal. ad A.* 1576, *p.* 278, ubi haec uerba, hoc loco praecipue obseruanda, addit, Quam, uidelicet metam uitae supremam, nec ille, nec pater, superarunt, et filius quidem ne attigit. Walterus enim ille tum patris, tum suum ipsius diem respexisse emortualem, atque ex hoc annum filii fatalem collegisse quodammodo uidetur. Ecquid uero uotis

 tunc

tunc opus est, quando parentes liberorum felicitatem, aut infelicitatem, animo praeuident. Nonnullorum e contrario signorum, quae tamen saepissime fallunt, facta inter se collatione, fieri potest, ut multa parentum uota inde proficiscantur. Cum autem nec parentum moribundorum praescientia, nec signorum collatio, fata liberorum necessaria efficiat, causam eis, quae allatae sunt, certiorem quaeri oportet.

§. VI

p) ponenda.

Itaque ueniamus ad ueram indubiamque causam, ex qua supremorum, de quibus hic agimus, uotorum efficaciam pendere, existimamus. Talis est remuneratio tum Parentum, tum Liberorum, ob uirtutes eorum, maxime pietatem, a Deo benignissimo facta. Nimirum Parentes, si, uota, pro liberis facienda, exaudiri a Deo, cupiunt, ipsi quoque Deum, omnis datorem boni, diligant; coniunctamque cum eo amicitiam pietate aliisque uirtutibus tueantur, necesse est. Etenim Ratio ipsa, sibi relicta, nec diuino illustrata lumine, agnoscit, preces, Deo ab inimico eiusdem oblatas, sperni irritasque esse, quanquam Ratio sola id omne indicare nequit, quod a iusto Dei amico praestari oportet. Quam ob rem, quoties, uota parentum infidelium, aut impiorum, a Deo rata fuisse habita, audimus, toties hoc non ipsis eorundem uotis, sed aliis potius causis, facile indagandis, adscribendum esse, iudicemus. Eas uero preces, quas parentes, uera pietate praediti, ad Deum pro liberorum salute fundunt, plurimum ualere, quis negaret. Quemadmodum igitur parentes, fructuosa pro liberis uota facturi, tales esse debent, qui Dei gratia fruantur, sic liberi quoque, diuinorum, quae parentes sunt apprecati, beneficiorum cupidi, id curare debent, ut Deum, qui bona tribuit, uera pietate colant, parentes autem, qui ea suis expetunt uotis, amore et obsequio prosequantur. De tali liberorum in parentes pietate

tate grauiter monet D. AMBROSIVS *in lib. de benedict. Patriarcharum, cap. I*, ubi, Quantam, ait, discimus parentibus referre reuerentiam, cum legimus, Quoniam, qui benedicebatur a patre, benedictus erat, et, qui maledicebatur, maledictus erat. Ideo hanc parentibus gratiam donauit Deus, ut filiorum pietas prouocetur. Extant praeterea inter ueteres perinde ac recentiores exempla sat multa eorum, qui paternam benedictionem permagni aestimarunt. Quid quod apud Anglos non facile filius, quantuscunque sit, ad Parentes accedit, quin auspicia accessus sui a benedictionis petitione, his fere uerbis, give me, I beg (craue) Your blessing, sumat, uid. IO. CHRISTOPH. BECMAN. *in dissert. de Exuperantia obsequii, cap. III, §. II, p.* 25. *Conf.* eiusdem *Conspect. doctr. polit. cap. IX, p.* 55. Itaque praeclarum est monitum IACOBI, Angliae Regis, Henrico, filio suo, datum *in Dono Regio, lib. II, p.* 96, *edit. Anglic. Edinburg.* 1603, ubi, Press earnstly, ait, to deserve Your mother's blessing. Neither deceive Your self with many, that say, they care not for their parents curse, so they deserve it not. O invert not the order of nature by judging your superiours chiefly in Your own particular. But assure Your self, the blessing, or curse of the parents hath almost ever a prophetick power joyned with it, Quae quidem uerba in translatione Latina, a IO. CHRISTOPH. BECMANO, *Francof.* 1682, edita, ita se habent, Tu matris tuae benedictionem omni ope studebis mereri. Nec te ipse communi errore decipies, quasi parentum imprecationes, ni merearis, susque deque habendae essent. Ah, parce naturae ordinem inuertere, nec de maiore potestate, tua praesertim in causa, sententiam feras, et persuasum id habeas, precibus parentum bonis maiisue paene uaticinii certitudinem esse coniunctam. Quodsi igitur parentum ac liberorum mores sunt tales, qui uotorum effectum haud im-

pediant, Deus, pro immensa sua benignitate, liberis bona, a parentibus moribundis, quippe ipsius amicis, optata, eatenus largitur, quoad, ea vere profutura esse, sapientia sua prospicit.

§. VII

Quaestio de precibus parentum defunctorum.

Existit hic quaestio, An parentes in altera uita pro liberis deprecentur, et Deum, ut rata habeat uota, a moribundis facta, exorent. Varias in utramque partem rationes afferunt doctores. Qui negant, id urgent maxime, quod diuersa plane sit conditio moribundorum ac defunctorum, quippe cum illi, de liberorum salute solliciti, suum erga illos amorem supremis comprobent uotis, hi autem, animo uinculis corporeis soluto, nullum sentiant affectum, nec res humanas curent, sed diuinis tantum occupentur. Qui uero aiunt, sententiam suam argumento, a recordatione animae post mortem petito, confirmant, qualem recordationem quoque statuit Illustris WOLFFIVS *in vernunfftigen Gedancken von Gott, der Welt und der Seele des Menschen* §. 926. Sat multa autem ea de re scripta prostant, qualia commemorantur a IO. FRIDER. MAYERO *in dissert. de recordatione animae humanae, post fata superstitis, Kiloni*, 1699, a CHRISTOPH. NICOL. SPEISERO *in dissert. de quaest. an mortuorum animae sciant, num relictis in his terris bene, uel male sit, Vitembergae* 1714; et a GOTTLIEB WERNSDORFFIO *in diss. de animarum separatarum statu, Vitemb.* 1725.

CAPVT

CAPVT II
DE
SVPREMIS PARENTVM VOTIS CONTRA LIBEROS

§. I

Non nunquam contra liberos vota a Parentibus moribundis concipiuntur. Variis autem nominibus uota, contra aliquem facta, appellari solent. Inter ea primum occurrit vox maledictionis, quae tamen perinde, ac benedictio, in eo, quem hic habet, sensu a ueteribus non fuit usurpata. Dicuntur maledictiones aliis etiam nominibus dirae, execrationes, mala omina, preces Thyesteae, seu malae imprecationes. Fiebant autem tales non modo priuatim, sed etiam publice. Sic CICERO *lib. III de offic. cap. XIII*, publicas quasdam execrationes commemorat, quae Atheniensium legibus fuerunt sancitae. Pari ratione solenne erat apud Cyprios, ut, hordeum ferentes, addito sale, deuouerent eos, quibus male uolebant, unde locutio, ἀρὰς ἐπισπείρειν, execrationes serere, nata est, ut ex HESYCHIO docet ZWINGERVS *in Theatr. uit. hum. uol. I, lib. II, f.* 187. Sunt autem eiusmodi execrationes, ut GISBERT. VOETIVS *in disput. select. tom. III, p.* 1083, eas describit, imprecationes, optationes, siue denuntiationes malorum, interposito nomine Dei, eiusque potentia et uindicta, siue implicite, siue explicite, ad hoc aduocata. Quodsi igitur generalem hanc execrationum descriptionem ad nostrum applicamus institutum, suprema parentum contra liberos uota definiri possunt per apprecationes certorum, quae euenire debent, malorum, liberis a parentibus moribundis, certa ex causa, factas. Quod autem de supremis

Definitio notorum, a parentibus contra liberos factorum.

premis parentum uotis pro liberis ſupra diximus, idem huc referri poteſt, uidelicet ea uel ore a parentibus proferri, uel ſcripto, ſeu teſtamento conſignari, quam in rem ſcripta extat IO. SAM. STRYKII *diſſert. de execrationibus teſtatorum, Halae* 1708.

§. II

Diſtinctio eius modi uotorum.

Cum autem de imprecationibus huiusmodi iudicare debeamus, utrum Parentibus conueniant, an minus, neceſſe eſt, ut prius diuerſa earum genera conſideremus. Duo enim execrationum ſunt genera, unum earum, quae cum conditione aliqua fiunt, resque attingunt futuras, alterum earum, quae ſine conditione proferuntur, et factum quoddam reſpiciunt. Imprecationes, cum conditione factae, adiurationes, itemque obteſtationes uocantur, et tales ſunt preces, quibus parentes moribundi liberos ſuos ad certum quid uel faciendum, uel omittendum, ſic adigunt, ſeu adſtringunt, ut, ſi liberi ſecus fecerint, grauiſſimum ipſi malum expectare debeant, e. g. ut omni familia orbentur. Veterem talis imprecationis et exheredationis formulam exhibet CAMERARIVS *in oper. hor. ſubciſ. Centur. III, cap. XXXV, p.* 122. Nimirum Arbotius quidam, oſſa ſua e Luſitania in Latium a filiis, intra quinquennium, transferri, uoluit, atque ideo filios, ſi ſecus fecerint, niſi legitimae orirentur cauſae, ab hereditate excludi, iuſſit. Recentiora quaedam exempla affert STRYKIVS *in cit. modo diſſert.* Imprecationes autem, ſine conditione factae, ſiue, ut uulgo dici ſolent, abſolutae, ſunt tales malorum apprecationes, quae fiunt ſine adiectione certi actus, quo demum commiſſo, uel omiſſo, mala euenire debent. Eiusmodi execrationes propter factum aliquod, uti diximus, ſiue rem praeteritam, eamque maxime odioſam, fieri ſolent. Exemplum generale, adeoque ab inſtituto noſtro hacte-

hactenus alienum, quod inter uota ſuprema, a parentibus facta, referri nequit, in hiſtoria Imperatorum Romanorum occurrit. Nimirum Hadrianus, ſub ipſo mortis tempore, Seruianum, ne ſibi ſuperuiueret, atque, ut putabat, imperaret, mori coegit, narrante SPARTIANO, *in uita Hadriani, cap. XXV.* Iſte uero Seruianus, antequam iugularetur, ignem popoſcit, deinde, incenſo thure, Vos Deos, inquit, teſtor, me nihil ſceleris commiſiſſe, quod uero ad Hadrianum attinet, unicum hoc precor, ut, cum uolet, mori non poſſit (περὶ δὲ Ἀδριανοῦ τοσοῦτον μόνον εὔχομαι, ἵνα ἐπιθυμήσας ἀποθανεῖν, μὴ δυνηθῇ) uti ex DIONE CASSIO refert XIPHILINVS *p. 795, ed. Leuenclau.* Quas etiam diras Dido Aeneae, ob malam ipſius fidem, imprecata ſit, commemorat VIRGILIVS *lib. IV. Aeneid. u. 607.* Quae pariter uota contra Sanctium, filium, ob turbas, ab eo, ſucceſſionis cauſa, excitatas, fecerit Alphonſus, Rex Caſtilienſis, ex AEMILIO meminit ZWINGERVS *l. c. f.* 188. In ſacra autem hiſtoria imprecatio Canaani a Noacho facta, inter abſoluta contra liberos uota merito eſt referenda. Non enim ponit conditionem, immo uero Chami filii ſcelus nepoti, Canaani, imputat Noachus. Quam ob cauſam PETR. BAELIVS *in Diction. hiſtor. et crit. ſub uoce Cham*, Ce, qu'il y a d'aſſez étrange, inquit, c'eſt, que l'Ecriture ne marque point, que ce Patriarche ait rien fait à Cham, il ne lui dit pas même un mot de cenſure, il ſe contenta de maudire Chanaan, fils de Cham. Hactenus uotorum, contra liberos factorum, diuiſionem propoſuimus, nunc ad eorum diiudicationem progrediamur.

§. III

De illis quidem Parentum imprecationibus, quae ſub certa quadam conditione, de rebus futuris poſita, fiunt, tenendum eſt, eas, pro ratione conditionis, licitas quodammodo ac *Iudicium de uotis ſub conditione factis.*

ac iustas censeri posse. Ecquis enim parentes iure suo liberis aliquid mandandi, aut suadendi, priuare auderet. Numquis parentibus moribundis, longoque rerum usu edoctis, futurorum prudentiam ita abiudicare uellet, ut, quid ad ueram liberorum felicitatem pertineat, quidue damno ipsis futurum sit, prorsus ignorare iudicentur. Deinde liberi ad capessenda iussa et consilia paterna, adeoque ad obedientiam et obseruantiam parentibus praestandam naturali ratione sunt obstricti, eoque magis, quo certior poena diuina proteruos eorum contemtores manet. Praeterea malum, quod parentes liberis, sub conditione neglecti obsequii, apprecantur, a liberis declinari potest, tum quia ipsis ideo, ut, praestito obsequio, euitetur, tanquam futurum, praedicitur, tum quia eiusmodi adiurationes, quibus parentes moribundi liberos, interposito nomine ac mandato Dei, ad certam praestationem adigunt, non, nisi res, quae uiribus humanis, ac saluis legibus, fieri possunt, continere debent, quippe cum nulla detur obligatio ad ea, quae agendi facultatem excedunt, aut pietati honestatique aduersantur. Quaecunque igitur uota, contra liberos, cum certa conditione facta, ita, quemadmodum diximus, sunt comparata, ea licita utique ac iusta aestimari debent. Talia quidem uota sunt ea, quibus adiecta est conditio, si liberi in uera religione non persistant, si legata ad pias causas soluere, aut testamentum, quod nec iniustum nec iniquum est, implere nolint, cetera. Quales quidem praestationes cum parentes omni iure a liberis postulare possint, quidni postulatum adiuratione quasi uallare eisdem liceret. Qua de causa recte egit Maria Lusitana, cum in supremo mortis articulo Deum precata est, ut, si liberi sui grauius in Deum crimen admissuri essent, ille, festinata ipsorum morte, suae Maiestatis iniurias anteuerteret, uti rem narrat FAMIANVS STRADA *Decad. I, de Bello Belg. lib. IV, p.* 163. Quod femina haec prin-

princeps uoto supremo edixit, id Auerroes, Arabum Philosophus, alia occasione de filio suo natu minore pronuntiasse fertur, uidelicet, Deum depreoor, ait, ut priusquam uideam aliquid contra uoluntatem meam, eum mori faciat, ut ex BARTHOLINO refert PETR. BAELIVS *in cit. Dict. hist. et crit. sub artic. Auerroes in not. lit. o*, ubi addit, talem Auerrois imprecationem hunc habuisse effectum, ut, priusquam transierint menses decem, filius eius moreretur. Tametsi autem eiusmodi adiurationes per se licitae sint, tamen eisdem temere haud utendum esse, ne uel Numinis laedatur reuerentia, uel adiurati conscientia perturbetur, bene monet Illustris ac Magnificus PRAESES *in Synopsi scientiae de Prudentia morali uniuersa p.* 357, *pos.* 368.

§. IV

Censura uotorum, sine conditione factorum.

Quod autem ad absoluta contra liberos uota, siue imprecationes, sine conditione factas, attinet, longe aliter de iis iudicari oportet. Nisi enim ex iusta quadam causa fiant, iniusta, adeoque prorsus illicita, haberi debent. Ecquid enim tum naturae, tum officio parentum ita, quemadmodum talis execratio, aduersatur. Naturalis quidem amor parentum erga liberos nihil magis respuit, quam male iisdem uelle. Tantum uero abest, ut officium parentum mala liberis sinat apprecari, ut potius eorum felicitatem quouis modo procurare iubeat. Neque enim parentes per generationem atque educationem ius in liberos consecuti sunt tale, ut suo arbitratu de illis decernere possint, contra ad eos fouendos conseruandosque omnem cogitationem, curam atque operam, ex lege naturali, adhibere debent. Recte hoc docet IO. CLERICVS *in biblioth. select. tom. X, p.* 312, ita scribens, Un Pere est si éloigné d'avoir acquis un semblable droit (imperium scilicet absolutum et monarchicum in liberorum uitam) sur son

 enfant,

enfant, en lui donnant la naiſſance ; qu'il eſt plus obligé qu'aucun autre d'en avoir ſoin, et de le conſerver. Conferri hic meretur, quod idem CLERICVS *in biblioth. uniuerſ. et hiſtor. tom. XIX, p. 560. ſeqq.* copioſius eam in rem diſſerit. Talia etiam uota, contra liberos prolata, ipſi repugnant Rationi, utpote quae haud obſcure cognoſcit, inimicum quoque, multo magis eum, qui propinqua nobiſcum cognatione eſt coniunctus, eſſe amandum. Quod quidem ex eo colligi poteſt, quod ad omne id, quod noſtrae aliorumque perfectioni conducit, eligendum, ad omne uero id, quod noſtrum aliorumque ſtatum reddit imperfectiorem, fugiendum, naturaliter ſumus obligati, ut idem ex hoc principio demonſtrauit celeberrimus Vir, FRID. CHRISTIAN. BAVMEISTERVS *in diſſert. de obligatione naturali ad amorem erga inimicos*, in primis §. 79, 83, *et* 86. Regula itidem Iuris naturae, Quod tibi non uis fieri, id nec alteri facias; eo ualet, ut ab odio erga inimicos, adeoque a uotis, contra eosdem faciendis, arceamur. Quid igitur mirum, ſi gentiles, ut uulgo dicuntur, ſaniores, ſiue homines, ueri quidem cultus diuini expertes, at Ratione recte utentes, id quoque agnouerunt. Quippe SENECA *in lib. de otio ſapientis, cap. XXVIII*, ita praecipit, Non deſinemus, communi bono operam dare, adiuuare ſingulos, opem ferre etiam inimicis. Et Imperator, MARCVS ANTONINVS, *in lib. VII, de ſe ipſo et ad ſe ipſum*, §. 22, ἴδιον ἀνθρώπου, ait, φιλεῖν καὶ τοὺς πταίοντας, h. e. hominis proprium eſt, etiam amare offendentes. Inter rationes, quae hominem ad hunc amorem impellere debeant, hanc quoque affert, quod inimici ſint cognati (συγγενεῖς) noſtri. Quae ratio ex Stoicorum quidem mente eſt explicanda, a nobis uero, cum ad Chriſtianae religionis principia, tum maxime ad uota parentum contra liberos applicanda. Ipſe quoque MARC. TVLLIVS *in or. in Piſonem cap. XIX*, indigna-

dignabundus exclamat, O Dii immortales, idne ego optarem, ut inimicus meus ea, qua nemo unquam, ignominia notaretur. Saepenumero etiam accidit, ut Parentes, quippe ad educandam sobolem inepti, suo vitio liberos reddant tales, qui tantum non execratione digni uideantur, uid. IO. FRANC. BVDDEVS *in Philos. mor. part. III, cap. III, §. VI.* Annon igitur sua potius uitia, quam liberos, culpa sua corruptos, detestari debent. Neque eiusmodi imprecationibus, contra liberos factis, consulitur Reipublicae ac prospicitur, cum ea ciues miseros atque infortunatos hinc nanciscatur. Etenim, quicquid liberi tales deuoti suscipiunt atque agunt, id omne inauspicato geritur, et quasi fatalem habet euentum, quo ipsi inutilia plane societatis humanae membra euadunt. Numquis uero sanior et cordatior, talem liberorum infelicitatem Reipublicae apprecandam esse, arbitraretur. Accedit demum, quod moribundi omnes illos affectus, qui mortem reddunt acerbiorem, deponere debent, quo placidus e uita discessus sequatur. Cum autem imprecationes ex tali irae atque odii affectu proueniant, qui animum maxime perturbat ac distrahit, eiusmodi execrationes utique omitti oportet. Quid quod tum etiam, ubi causae iustissimae subsunt, ab imprecationibus, contra liberos faciendis, abstinere satius est, quam ea migrare, quae pietatis, prudentiae ac moderationis regulae, a nobis allatae, poscere uidentur.

§. V

Obiectio imprecationum, in sacris occurrentium.

At uero, dicat aliquis, in ipsis sacris literis occurrunt exempla imprecationum, quas uiri sancti fecerunt, tum Noachus, Gen. IX, 25, tum ii, qui aliis non-liberis mala sunt apprecati, uelut Elias, II Reg. I, 10, Elisa, II Reg. II, 24, Dauides, II Sam. III, 29, Psalm. LXIX, 23, Ieremias, Thren. III, 64. Sed, de exemplo primo, quippe singulari, liceat huc re-

ferre

ferre iudicium, ex parte iam allatum, PETR. BAELII, qui l. c. Mais cétte malédiction, ait, n'étoit autre chose, qu'une Prophétie des victoires, que les descendans de Sem remporteroient sur les descendans de Chanaan sous Iosüé, c'est à dire, Sept ou huit siecles aprés la faute de Cham. Re autem generatim considerata, respondendum est, omnia eiusmodi uota non ex animo uindictae priuatae cupido, sed ex Spiritu prophetico, profecta esse, ita tamen, ut iustitia Dei uindicans simul agnita fuerit atque approbata. Et talis ad exempla obiecta respondendi modus, sacrarum literarum interpretibus communiter usitatus, commode adhiberi potest, quoties controuersia ea de re habetur, quo etiam haec spectat regula, Prophetae optando quoque uaticinantur. Plane hic consentit D. AVGVSTINVS *in lib. XVI, contra Faustum cap. XXII,* ubi, Maledicta, ait, cum ex prophetia dicuntur, non sunt de malo uoto imprecantis, sed de praescio Spiritu denuntiantis.

§. VI

Probatio effectus eiusmodi uotorum.

Suprema uero Parentum uota, contra liberos prolata, effectum plerumque habere, hoc magis concedimus, quod tum testimoniis, tum exemplis, id comprobatur. Quippe PLATO *lib. XI, de Legibus, p.* 621, *edit. Basil.* 1556, scribit, preces parentum aduersus filios a Diis exaudiri, ἐπηκόους εἶναι γονεῦσι πρὸς τέκνα Θεούς. Et SENECA *in epist. LX.* Iam non admiror, ait, si omnia nos a prima pueritia mala sequuntur, inter execrationes parentum creuimus. Exempla autem quam plurima apud illos extant auctores, qui de hoc argumento sunt commentati. Instar omnium hic esse potest CAMERARIVS *in cit. oper. hor. subcis. Cent. III, cap. XXXVI, p.* 124. Sin etiam uota, contra liberos formata, seu imprecationes, hactenus descriptae, effectu interdum carent, id tamen certe consequitur, ut opinio eius, cui parentes mala sunt precati,

cati, apud bonos ac graues oneretur, uti de patris maledictis, testamento additis, statuit Imperator in l. 1. C. ex quib. caus. infam. irrog. Sanctio certe, cuius supra mentionem fecimus, tale quid accidit, cum eum omnes deseruerunt ciues, donec supplex factus cum patre in gratiam rediret, uti commemorat ZWINGERVS *c. I. f.* 178. De uotis Seueriani et Auerrois supra pariter est dictum. Omnium uero commemoratione dignissima nobis uidentur ea, quae IO. SWANINGIVS *in uita Christierni II, Danorum Regis, lib. I, cap. III, §. V.*, de execrationum effectu tradidit. Postquam enim omnia, quae huic Regi acciderunt, mala ab execratione patris deriuauit, Execrationes, ait, parentum in filios ex comminationibus diuinis uires acquirentes, adeo plerumque sunt efficaces, ut filios in acerbissimas tristissimasque saepe praecipitent calamitates, sicut et benedictiones eorundem non raro ad summas filios prouehunt dignitates. Quanquam uero execrationum eiusmodi impletarum multa ubiuis exempla prostant, tantum tamen abest, ut a parentibus inconsulte ac temere fieri, ut, quod supra iam monuimus, tum etiam, ubi iustae adsint causae, omitti debeant, nisi diuino quodam impulsu quasi eliciantur.

EPILOGVS

Sic igitur ea, qua fieri potuit, ratione docuimus, quid *de uotis parentum supremis*, tum pro liberis, tum contra liberos, censendum sit ac iudicandum. Declarant hactenus dicta, quanto studio Parentes pariter ac Liberi pietatem colere debeant, utpote qua demum efficitur, ut uota, pro liberis facta, Deo benignissimo sint rata, liberi parentibus digni euadant, et duraturam post illorum fata felicitatem consequantur. Ceterum, me nec incognitas adhuc ueritates, neque sublimes, in hac dissertatione tradidisse, ingenue quidem fateor, non tamen dubito, fore eruditos, qui res, aliis in scriptis disperse traditas, hic distincte ordinateque, ex instituto, pertractatas, legere haud dedignentur.

PRAE-

PRAESES
CLARISSIMO DN. MAGISTRO
S. P. D

Cogitanti mihi de gratulatione, TIBI, V. C. nunc facienda, peropportune in mentem uenit tritum uetustate prouerbium, omne trinum est perfectum. *Tametsi enim hoc ex Musicis sumtum censetur, ubi numerus ternarius modi perfecti nota est, (*) tamen de aliis rebus, partim sacris, partim profanis, identidem usurpatur. (**) Mihi profecto iusta est causa trinum aliquod perfectum in eo statuendi, quod tres praestantissimi Iuuenes, uno, eoque Optimo, PATRE nati, me disputationis academicae praesidem elegerunt. Quippe ambo Fratres Tui, V. C. qui amplissimo adhuc sacerdotio praesunt, mea usi sunt ope in honesto eiusmodi Certamine, quale TV. eorum adductus exemplo, inire constituisti. Itaque, ut tertius Venerandi PARENTIS es Filius, sic tertia hac dissertatione, Clarissimo MVLLERI Nomine insignita, omnem, quaecunque hinc capi potest, uoluptatem reddis perfectam. Immo fateor atque etiam profiteor, animum meum in graui molestoque munere, quod adhuc sustineo, hoc demum maxime recreari, quod, a litigiosis uexatoribus parumper disiunctus, ad mansuetiores me Musas referre, et placidum cum eruditis colloquium habere possum. Tantum igitur mihi gaudeo, quantum TIBI, V. C. gratulor. Gratulor uidelicet egregium ingenii ac doctrinae specimen, quod dissertatione hac, TVO elaborata studio, exhibes. Gratulor praeclaram uirtutis indolem, quam non uno mihi documento comprobasti. Gratulor denique singularem illam felicitatem, quam Parentes adhuc superstites praestant. Vt MATREM habes, omnia sexus sui ornamenta complexam, sic PATRE uteris, pietatis, eruditionis, prudentiae ac meritorum immortalium laude cumulatissimo. Tales Parentes, quippe TVI, V.C. amantissimi nihil reliqui faciunt, quod ad TE ornandum prouehendumque pertinere uideatur. Faxit igitur DEVS Praepotens, ut tum IPSIS, tum TIBI, Tuisque FRATRIBVS et Cognatis ceteris omnia ex animi sententia eueniant. Conseruet in primis GENITOREM Optimum, Eidemque, cum senectute firma longaque uita, rerum, in sacra Dei ciuitate bene gestarum, fructus uberrimos largiatur. Vale. Scribebam Vitembergae Saxonum Calendis Octobris*

A. R. S. cIↃ IↃ CCXLII

(*) LAMPERT. ALARDVS in lib. singulari de ueterum Musica Cap. XI, p. 71. (**) Legi hic potest Io. ROSENBERGII, Rectoris Budissini, Trias Theologica, Philosophica et Historica, Lips. et Budiss. 1707.